

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2023-2024
À rendre avant le mardi 26 septembre (casier au DSA)

Version latine n°2 : contre mauvaise fortune bon cœur

48 av. J.-C. : César encercle la principale place forte de Pompée, à Dyrrachium, en Épire. Mais paradoxalement, les assaillants souffrent plus vite de la faim que les assiégés...

Erat noua et inusitata belli ratio cum tot castellorum numero tantoque spatio et tantis munitionibus et toto obsidionis genere, tum etiam reliquis rebus. Nam quicumque alterum obsidere conati sunt, percussos atque infirmos hostes adorti aut proelio superatos aut aliqua offensione permotos continuerunt, cum ipsi numero equitum militumque praestarent ; causa autem obsidionis haec fere esse consuevit, ut frumento hostes prohiberent. At tum integras atque incolumes copias Caesar inferiore militum numero continebat, cum illi omnium rerum copia abundarent ; cotidie enim magnus undique nauium numerus conueniebat, quae commeatum subportarent, neque ullus flare uentus poterat quin aliqua ex parte secundum cursum haberent. Ipse autem, consumptis omnibus longe lateque frumentis, summis erat in angustiis. Sed tamen haec singulari patientia milites ferebant. Recordabantur enim eadem se superiore anno in Hispania perpessos labore et patientia maximum bellum confecisse ; meminerant ad Alesiam magnam se inopiam perpessos, multo etiam maiorem ad Auaricum, maximarum se gentium uictores discessisse. Non illis hordeum cum daretur, non legumina recusabant ; pecus uero, cuius rei summa erat ex Epiro copia, magno in honore habebant.

Est etiam genus radicis inuentum ab iis, qui fuerant in alaribus, quod appellatur chara, quod admixtum lacte multum inopiam leuabat. Id ad similitudinem panis efficiebant. Eius erat magna copia. Ex hoc effectos panes, cum in conloquiis Pompeiani famem nostris obiectarent, uulgo in eos iaciebant ut spem eorum minuerent.

César